

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm
Eloqventiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

Tympe, Matthäus

Coloniæ Agrippinæ, 1650

XI. Ingenuum dedecere adolescentem, contra Magistri mandatum, aquas
lavandè gratia, seu ut laretur, ingredi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39028

NON ESSE INTR. AQUAS. LAV. GRAT. 25

XI. INGENVVM DEDECERE ADO-
lescentem, contra Magistri mandatum, aquas
lavandigratia, seu ut laretur,
ingredi.

EXORDIUM: Homines paulò prudentiores ab
iis se rebus facile abduci patiuntur, quæ cum a-
liqua turpitudinis labo periculoque quopiam sunt
conjunctæ.

PROPOSITIO: Cùm tuos in liberalibus studiis
locios ab aquarum hoc tempore ingressu cupias
esse alienissimos, tibi propositum esse affirmabis,
& insignem turpitudinem, & haud exigua pericu-
la illi inesse declarare.

CONFIRMATIONIS I. RATIO à fine vestium.
Primi parentes nostri quanto quidē tempore in-
ditam sibi à Deo justitiam sartam tectam conser-
vabant, nullius vestium usus ipsis serviebat: post-
eaquam verò sese peccato obstrinxerunt, ad aspe-
ctum suæ nuditatis verecundiam conceperunt,
vestesque necessarias consuerunt, ad eandem ob-
tegendarum. Iam verò quantæ dementiæ est, hanç
primorum parentum prudentiam spernere? quan-
tæ impudentiæ vestes removere, ac nudum in ali-
orum se conspectum dare? Amplificari à minori;
Apud Ægyptios nudatis solùm pedibus in publicum
prodire nefas censebatur: Persis capitale fuit nudū
hominem conspexisse. Quod supplicium igitur sa-
tis dignum constitueretur in Christianos, eos, qui
cunctis sese integumentis evoluunt, sicq; non ho-
minum duntaxat, sed & cœlestium Spirituum, &
immortalis Dei conspectum subeunt? confer il-
lorum Ethnicorum utilitatem cum Christianorū
præstantia; & hominum, quos illi verebantur, hu-
militatem cum præpotentis Dei Majestate.

II. Dedece hæc res juventutem, quòd in ea Ma-
gistrorum imperia spernantur, quæ summa religi-
one

26 NON ESSE IN RANDAQ. LAV. GR.

one obſervanda forent: quia S. Paulus nos moneret, ut Præpositis nostris obediamus, & authore Philone, præcipua diſcipulorum virtus est, Magistro obtemperare, eumque imitari. Hoc enim Præceptorum in diſcipulos charitas, immensique labores resjure ab iſis postulant, & requirunt. Eam obedientiam Magistris negare, quæ tanto jure debetur nequaquam liberaliter nati atque educati adolescentis esse aſſeres.) Vide Q. Curtium de Ale-
xandro Magno, & Joviu[m] de infelici caſu Friderici
Imp. Germ.)

III. ab adjunto periculo. Cùm fieri ſæpenumerò soleat, ut vel in voragine ejusmodi balneatores incident, vel fluminis vi abripiantur, vel ſpasmus iſos invadat, ſæpè etiam uſu venit, ut aquis ſuffocentur. Cujus rei gravitatem ex eo ostendes. PRIMÒ, quòd tali nuntio parentibus amicisq; nullus atrocior queat accidere: cùm quòd plurimi ſumptus adhibiti in ſtudia perierint; tum vel maximè quòd chariſſimis iſis pignoribus ſit carendū. SECUNDÒ, quòd præſens perpetuæ damnationis periculum incurrit, dum ſuperiorum mandata cōtrumaciter ſpernuntur, dumq; nullum ſuppetit otium aliquem ſuorum peccatorum doloris ſenſum admittendi.

In CONCLUSIONE monebis Auditores, ut vere cundiæ & pudoris memores, ad animum ſæpius ſuum revocent, quām id Christianis indignum ſit, ſi ab Ethniciſ honeſtate vincantur: quām æquum ſit audientem ſeſe Præceptorum mandatis præbere: quantum prudentem deceat hominem periculorum occaſionem declinare. Addes potius, ſi neceſſitas ſit, balneis ſeſe calidiſ committant, ſicque periculum omne, aliquam etiam turpitudiniſ partem effugiant.

VII. DI-